

INDEX RERVM POTIORVM
IN LIBELLIS HOC ANNO MDCCCCLXV
EDITIS OCCVRRENTIVM

Aeneas Silvius Piccolomini, qui fuit Pius II Pont. Max., humanarum litterarum cultor (A. TRAGLIA) IV, p. 266.

Inter gravia Summi Pontificis munera litteras colendi modum et tempus Pius II invenit. Maximum eius in hac commentatione opus memoratur, quod inscribitur: *Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt*, in quo tota viri illius magni multiplicisque ingenii indoles lucet. *Cosmographiam* etiam composuit, seu historiam rerum ubique gestarum locorumque descriptionem. Alia de Aenea Silvio Piccolomini oratore, epistolarum scriptore, artis erudiendorum puorum auctore; de carminibus denique, quae potissimum iuvenili aetate contextuit.

Alumni inter se Latine disceptant (Io. COPPA) IV, p. 295.

In quodam Americae Septemtrionalis Seminario iam in morem venit ut duo alumni de quodam proposito argumento Latine sermocinantes suam sententiam defendant, quam tertius impugnare conetur, ceteris alumnis ad disputationem animos attentissime intendentibus palmaque meliores donantibus.

Annotationes philologiae (A. M. NEGRI) I, p. 6.

Annotatio ad Ivst. 2, 10, 20; ad locum scilicet ubi haec leguntur verba: *naves quoque deciens centum milium numero habuisse* (Xerxes) dicitur.

Annotatio ad Vincentii Kadlubek locum, ubi de Codro est sermo; utrum nempe Codrus hic sit antiquus Atheniensium rex, an pauper poeta qui Domitiani vixerit temporibus et a Iuvenale memoretur.

Aranea pratensis (carmen I. Salvadori a Ios. DEL TON Latine redditum) III, p. 212.

Arbor ficus an arbor fici? (ALF. TRAINA), IV, p. 282.

Tribus auctor solutionibus quaestionem expedit: a) et appositio et genetivus aequae usurpantur: illa autem antiquiore aetate frequentior, hic seriore; b) in pomiferis arboribus in iis scilicet arboribus quarum nomina et arborem et fructum significant utrumque usurpatur; c) eae arbores, quarum fructu magis utebantur Romani quam ipsis (ut *piper* et *palma*), semper, ut videtur, genetivum recipiunt.

Canere, v. Verbis.

Catulli (de) versu illo LXVI, 3 (C. DE MEO) III, p. 182.

De versu illo Catulli: *flammeus rapidi solis nitor obscuretur*, primum ipse verborum delectus eorumque ordo subtilis expenduntur, deinde quo metrico artificio poeta propositum adsecutus sit.

- Cecoslovachiae quibusdam in scholis lingua Latina iterum imperata (Io. COPPA) I, p. 63.
 Cum sodales Academiae disciplinarum, in publico conventu coram Administrato ab institutione Pragensis rei publicae, conquesti essent in Cecoslovachia altiorum scholarum discipulos sermonis Latini paene rudes et ignaros esse, eius linguae institutio vel secundi ordinis scholarum alumnis iterum imperata est.
- Censuali (de) professione sive de quibusdam vocabulis nostris Latine reddendis (A. TRAINA) II, p. 127.
 Quaeritur ab auctore utrum Romani eo negotio caruerint, quod Italici *dichiarazione dei redditi* appellant, an et illis contigerit ut semel in anno in conscribendis scidulis insanirent.
 Quaedam vocabula Latine reddenda responsioni auctor addit.
- Certamina Latinitatis eorumque exitus (Io. COPPA) I, p. 64.
 Certaminis Vaticani VIII exitus, II, p. 83.
 Certamen Vaticanum IX indicitur, II, p. 84.
 Codice (de) iuris viarii (TH. MARIUCCI) I, p. 34.
 Quaedam de codice legum viariarum auctor delegit eaque sermone Latino interpretatus est, ut quae sit virtus Latinitatis in rebus recentioribus declarandis firmo argumento ostenderet.
- Contio in aves habita (carmen I. Salvadori a Ios. DEL TON Latine redditum) III, p. 212.
- Conventus ex omnibus nationibus linguae Latinae fovendae causa Romae proximo anno celebrabitur (Io. COPPA) IV, p. 296.
 Haec sunt praecipua argumenta in publico eodem conventu disputanda: linguae Latinae quaestiones, quae cum nostri temporis civili cultu rationem habent; in singulis nationibus Latinitatis docendae via; antiquarum Latinarum litterarum ac philologiae doctrinae hac aetate studia; nostri temporis litterae lingua Latina exaratae; quid lingua Latina nunc possit si nostri huius civilis cultus sicut propria habeatur.
- Dantis (de) poetica Latinitate (Io. B. PIGHI) IV, p. 243.
 In eclogis duabus, quibus Ioanni de Virgilio, professori Bononiensi, respondit, poetico Latino genere Dantes usus est. Cuiusmodi poetici sermonis proprietates cum nemo, post Iosephi Albini Aristidis Marigo Caroli Battisti commentationes, collegerit, eas hic ordine quodam enumeratas auctor explicat.
- Decensus poetae (carmen A. NVRI) I, p. 54.
 Dicere, v. Verbis.
- Electrica domus utensilia (T. TONDINI) I, p. 12.
 Occasionem nactus cuiusdam describendae tabernae, Matriti in Hispania exstantis, ubi electrica domus utensilia venalia prostabant, plurima nova vocabula Latina, verba scilicet et locutiones, auctor fingit, quae ad res nostrae aetatis significandas apte adhiberi possunt. In primis utensilia

describuntur quae ad cotidianum victum parandum servandumque attinent; ea deinde, quae cum domus ipsius rationibus et commoditatibus sunt coniuncta; postea utensilia animorum culturam et oblectamentum spectantia; ea denique, quae ad corporis munditiam pertinent.

Epigrammata, I, p. 68; II, p. 152; III, p. 221; IV, p. 302.

Epistolarum (per) commercium lingua Latina traditur (Io. COPPA) IV, p. 294.

In Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus praeclarum inceptum in rem deductum est, cura nonnullarum illius nationis Studiorum Universitatum, quae iis discipulis consulere voluerunt, qui scholis interesse praesentes nequirent. Etenim linguam Latinam vel primum discere vel ab integro sumere cupientibus per epistolarum commercium ea doceri coepta est.

Erithacus (TH. CIRESOLA) III, p. 178.

Carmen hoc in *Certamine Vaticano* VIII aureo praemio donatum est.

Excerpti loci ex Litteris Encyclicis *Pacem in terris* musicis modis aptati (Io. COPPA) I, p. 66.

Cum Lutetiae Parisiorum nova ac mirifica sedes inauguraretur radio-phonica et televisifica emissionibus habendis, primum editum est canticum Darii Mihaud, qui quosdam Latinos locos ex Litteris Encyclicis, quibus initium *Pacem in terris* excerptos musicis modis aptavit. Qua quidem in re, et Ioanni XXIII, desideratissimo Romano Pontifici, extremum veluti pietatis officium est praestitum, et linguae Latinae honori quam maxime inservitum est.

Fons uber (carmen F. M. BRIGNOLI) III, p. 193.

Hugone (de) Andrea Munro (I. B. FIGATO) I, p. 29.

Anglus hic vir egregiam operam dedit poetis recentioribus, sive Italis sive Anglis sive Theutiscis, Latine vertendis, idque cum animi sui causa fecit tum ut ostenderet veterem Romanorum sermonem peridoneum esse ad recentissima quaeque eleganter sine ullo venustatis detrimento dicenda.

Itali discipuli Latinum sermonem discere praeoptant (Io. COPPA) I, p. 62.

Cum in Italia optio discipulis facta esset ut linguae Latinae cognitionem, si vellent, eligerent, siquidem tenero alumnorum ingenio graves eam inferre difficultates plurimi autumabant, linguae e contra Latinae discentes in Italicis scholis multiplicati sunt; quorum numero non modo sunt accensendi qui in medii ordinis scholas conveniunt, sed ii quoque alumni qui ludos artibus exercendis obeunt.

Latinitas in Riaria Curia Romae concelebratur (TH. MARIVCCI) III, p. 163.

Celebritas describitur *Certaminis Vaticani*, quae quotannis Romae fit, in quaque tum praemium tulerunt qui probatas scriptiones vel carmina ante miserant, tum de vivaci adhuc Latinitate a quibusdam viris egregiis disputatum est.

Latinitati laudes publice tributae (Io. COPPA) I, p. 66.

Cum Aquisgranæ omnium nationum præmium Antonio Segni, Italæ r. p. Praesidi tributum est, oratio est ab Erico Mende habita de urbe Roma, utpote quæ litterarum monumenta humanitatisque cultum maximam partem posteritati tradidit ac linguæ Latinæ vestitu propagavit.

Latinorum certaminum exitus (Io. COPPA) IV, p. 291.

De certaminibus Latinis quæ quotannis inter doctos competitores proponuntur certiores auctor lectores facit; videlicet de certamine Hoeufftiano, Capitolino, de eoque quod *Premio Nazionale di Cultura - Sanremo 1965* appellatum est, lyciorum Italæ alumnis propositum.

Librorum existimationes:

BACCI Card. A., *Con il latino a servizio di quattro Papi* (iudicium fecit P. Bruno) I, p. 69.

BERNARDI PERINI G., *L'accento latino: cenni teorici e norme pratiche* (i. f. C. De Meo) III, p. 225.

BIANCA G., *La pedagogia di Quintiliano* (i. f. R. Del Re) I, p. 75.

BOSSI E., *Fedro: le favole* (i. f. R. Marsiglio) III, p. 231.

BRIGNOLI F., *Hortus amorum* (i. f. O. Pasqualetti) III, p. 223.

CODRIGNANI I. C., *Catulli codex Bononiensis 2744* (i. f. R. Galligani) I, p. 71.

COVA P. V., *L'omerismo alessandrino dell'Eneide* (i. f. C. Dolcimascolo) III, p. 235.

D'ELIA A., *Latinarum litterarum historia* (i. f. C. Latorre) II, p. 159.

DEL TON G., *Eusebio di Cesarea: Storia ecclesiastica e I Martiri di Palestina* (i. f. P. Rossano) III, p. 222.

FREIRE A., *A tragedia greca* (i. f. Latorre) IV, p. 312.

GORDON C. A., *Bibliography of Lucretius* (i. f. I. IJsewijn) III, p. 227.

GUERCIO L., *Scritti vari* (i. f. Ios. Del Ton) II, p. 153.

KUMANIECKI C., *Philippi Callimachi opera* (i. f. A. K.) III, p. 229.

MCGLYNN P., *Lexicon Terentianum* (i. f. Ios. Del Ton) I, p. 70.

MENGE H., *Langenscheidts Taschenwörterbuch der lateinischen und deutschen Sprache* (i. f. Io. Coppa) III, p. 234.

PABON I. E., *Ciceronis: pro Cornelio Sulla oratio* (i. f. C. De Meo) IV, p. 308.

PAOLI U. E. - PAOLI M. - CASINI N., *Guttatim* (i. f. R. Galligani) IV, p. 310.

PAPA R., *Originalità di Lucrezio filosofo e poeta nel libro V del «De rerum natura»* (i. f. R. Del Re) I, p. 77.

PAPA R., *Veterum poetarum sermo et reliquiae quatenus Lucretiano carmine contineantur* (i. f. C. Latorre) I, p. 77.

PASQUALETTI O., *Antologia di poeti umanistici* (i. f. A. Rizzato) II, p. 154.

RAPISARDA E., *Draconzio: La tragedia di Oreste* (i. f. In. Parisella) II, p. 155.

RAPISARDA G., *Roma in Britannia* (i. f. In. Parisella) II, p. 156.

RICHER E., *Lieux linguistiques et latin classique* (i. f. C. Latorre) I, p. 78.

RIPOSATI B., *Storia della letteratura latina* (i. f. In. Parisella) IV, p. 305.

- Scriptorum Romanorum quae exstant omnia: Porcius Cato* (i.f. P. Ciprotti) II, p. 158.
- STÉGEN G., *Virgile: Les Bucoliques* (i.f. C. Latorre) III, p. 233.
- TONDINI H., *Inscriptiones Latinae ad honorem Pii XII Pont. Max. compositae* (i.f. P. Bruno) IV, p. 303.
- VAN HECK A., *Gregorii Nysseni: de pauperibus amandis orationes duo* (i.f. In. Parisella) III, p. 232.
- VERDIÈRE R., *Gratti Cynegeticon libri I quae supersunt* (i.f. P. Ciprotti) I, p. 75.
- ZILLIACO H., *Sylloge inscriptionum christianarum Musei Vaticani* (i.f. P. Ciprotti) I, p. 74.
- Lingua Latina necessaria est ad mutua doctorum hominum commercia fovenda (Io. COPPA) I, p. 63.
- Ex Indis et Afris plures sunt, qui Latini sermonis utilitatem in tractanda philosophia, theologia ac rerum naturae disciplina defendunt. Quidam praeterea viri eruditissimi in Germania, in Austria, in Hungaria degentes, suas disputationes commentationesque de medicina, de antiquarum litterarum studiis, de arte herbaria Latino perhibentur exaravisse sermone. Alia id genus incepta.
- Libri dono accepti, I, p. 80; II, p. 160; III, p. 237; IV, p. 312.
- Linguae Latinae per terrarum orbem fortuna (Io. COPPA) I, p. 52; IV, p. 291.
- Itali discipuli Latinum sermonem discere praeoptant; in quibusdam Cecoslovachiae scholis lingua Latina iterum imperata; lingua Latina necessaria est ad mutua doctorum hominum commercia fovenda; Latinitatis certamina eorumque exitus; Latinitati laudes publice tributae; nova Latinitatis academia in Vruquaria; excepti loci ex Litteris Encyclicis *Pacem in terris* musicis modis aptati; Latinorum certaminum exitus; linguae Latinae docendae ratio in Italicis scholis accurate descripta; per epistolarum commercium lingua Latina traditur; alumni inter se Latine disceptant; Vindobonae studiorum Universitatis alumni fabulam Latine peragunt; ex omnibus nationibus conventus linguae Latinae fovendae Romae proximo anno celebrabitur; novi commentarii Latini.
- Linguae Latinae docendae ratio in Italicis scholis accurate descripta (Io. COPPA) IV, p. 293.
- Summum Consilium litteris artibusque apud Italos provehendis praepositum novam Latinorum studiorum rationem edidit, cuius praeceptis si Latinitatis magistri sedulo obtemperaverint fideliterque, haud parum utilitatis et fructus Italicarum scholarum alumni colligent.
- Litteris (ex) nobis redditis (P. B. Librariolus) IV, p. 299.
- Lectoribus quasdam quaestiones de lingua Latina proponentibus responsa dantur.
- Musae Latinae anno MCMLXIV (L. IJSEWIJN) II, p. 137.
- Conspectus editur poetarum Latinorum nostri temporis, qui sua car-

mina superiore anno in vulgus dederunt. Bibliographia generalis; novi carminum libri; certamina: Hoeufftianum Amstelodami habitum, Horatianum, Pascolianum, Vaticanum; carmina in Commentariis edita; carmina denuo edita; carmina Latine conversa e sermone Anglico, Croatico, Francogallico, Germanico, Graeco antiquo, Hebraeo, Hispanico, Italico, Nederlandico, Serico, Sloveno.

Mystace (I. IJSEWIJN) III, p. 219.

Erratam quandam vocis *mystace* interpretationem auctor refellit rectamque, exemplis allatis, proponit.

Novi commentarii Latini (Io. COPPA) IV, p. 297.

Huiusmodi commentariis, qui Monachii in Bavaria Germaniae regione nuper edi coepti sunt, index est: *Vox Latina*, eorundemque consilium atque ratio praecipua eo spectant, ut linguae Latinae non modo scientia et doctrina, verum etiam usus atque exercitatio magis magisque diffundantur.

Ore (ex) infantium (carmen TH. CIREOLA) II, p. 107.

Patrii (utrum) sermones sacrae Liturgiae nunc interpositi linguae Latinae aspernationi patrocinentur (H. TONDINI) III, p. 172.

Qua occasione *Certaminis Vaticani*, octavum propositi, victoribus praemia Romae persoluta sunt, perpolitissima habita oratione, respondit auctor utrum linguae Latinae studium imminutum esse ducendum sit, quandoquidem ex Concilii Vaticani II praeceptis iam non Latinus, sed cuiusque populi sermo usurpari potest ad certos eosque non paucos sacrae liturgiae locos exprimendos.

Paulo VI Pont. Max. peregrino apostolico in Indiam profecto (carmen F. M. BRIGNOLI) I, p. 3.

Petrarcha (quomodo) rerum naturam senserit atque in carminibus Italico sermone compositis effinxerit (S. BRIANZA) I, p. 44.

Haec commentatio in *Certamine Vaticano VII* alterum praemium tulit. E pluribus Petrarchae carminibus, lingua Italica expressis, quaedam selegit auctrix, ut interiores poetae sensus, quibus flagrabat in rerum natura admiranda atque contemplanda, ostenderet.

Plutarcho (de) Chaeronensi, immortalitatis animorum assertore (R. DEL RE) III, p. 184.

Iuxta Platonis disciplinam, eam doctrinam Plutarchus professus est quae ad hominum animos eorumque immortalitatem spectat. Qui tamen in hac tam gravi tamque sublimi philosophiae parte propriis cogitationibus proprioque instinctu inductus de immortalitate iudicium suum protulit.

Politica (de re) voces locutionesque in Encyclicis Litteris *Pacem in terris* occurrentes (IN. PARISELLA) III, p. 202.

Harum Litterarum orationis ornamenta praecipue auctor consideravit, nonnullasque earundem voces et locutiones lectoribus proposuit, quae ad reipublicae moderandae disciplinam externarumque rerum regionem

pertinent, in quibus, ut Summus ait Pontifex, Ecclesiae catholicae ius est auctoritatem suam interponendi, cum diiudicare opus sit quomodo doctrina eadem sit ad effectum deducenda.

Responsa ad propositas quaestiones (A. TRAINA) I, p. 58; II, p. 127; IV, p. 282.

Sallustii memoria et recordatio (H. PARATORE) IV, p. 254.

Pluribus verbis disserendo probat auctor Sallustii opus novam in Romanorum cultu atque humanitate rationem instituisse rerum publicarum explicandarum, civilium motuum perspiciendorum, egregiorum denique virorum eorumque sensuum diiudicandorum, qua hominem pagina rerum scriptoris saperet.

Scholis (de) quae apud Anglos publicae vocantur (IAC. DIDDLE) II, p. 137.

Non agitur hic de scholis quae apud Anglos iuventuti omni patescunt; sed de iis quae, quamquam *publicae* translaticio nomine vocantur, aptissime *privatae* possunt vocari. Vtrum id genus scholae abolendae sint necne auctor disserit.

Seneca (L. Annaeus) philosophus (P. BRVNO) III, p. 195.

Quibusdam praemissis de Ciceronis philosophia, de Senecae praesertim philosophia auctor agit, quae ad eiusdem partem moralem attinet; qua scilicet factum est ut media, quae dicitur, aetate ei *moralis* cognomen inditum sit.

Solitariae vitae laus (carmen ex Hispano in Latinum sermonem translatum a Ios. DEL TON) IV, p. 288.

Suet. *Vit. Hor.* 38-43 Rostagni (AEL. PASOLI) IV, p. 278.

Eduardus Fraenkel in vulgatissimo illo atque laudabili opere, quod de Horatio conscripsit, locum quendam *Vitae* Horati quae Suetonio adscribitur haud mediocriter immutat.

Commentationis vero huius auctor nihil in eodem Suetoni *Vitae* Horati loco probat esse mutandum.

Sumptuaria (de) gentilitatis ratione apud Senecam (H. PARATORE) III, p. 166.

Hanc orationem Romae auctor habuit, quo die in Riaria Curia *Certaminis Vaticani VIII* victores praemio affecti sunt.

Quaedam auctor ex maximi ponderis antiqui aevi innumerabilibus dictis et factis refert, quibus gentilitas in exitium ruere aestimanda est. At tamen prudentiores quidam homines tam audaci omnium voluptatum abdicatione, tam forti sapientiae ac temperantiae studio digni habentur qui christianae revelationis melle velut perfunderentur. Quos inter, Seneca eminet, cuius opera rectissimus a vetustate ad novum ac felicissimum saeculum trames iure merito dicendus est.

Vruquaria (in) nova Latinitatis academia (IO. COPPA) I, p. 66.

Vt Paulo VI Pont. Max. grati animi pignus daretur, qui sodalibus S. Francisci Salesii munus commiserat ut Pontificiae Latinitatis Studiorum Vniversitati Romae moderarentur, eadem sodalium Familia novam academiam litteris Latinis colendis Montisvidei condidit.

Ventus (IOS. DEL TON) II, p. 121.

Latina interpretatio carminis Aloisiae Giaconi, quod Italice *Il vento* inscribitur.

Vera historia (H. DE FRANCO) III, p. 215.

De ea historia agitur, quam Lucianus Samosatensis, commenticiis fictisque narratis casibus, lingua Graeca scripsit: de itinere videlicet ex quadam Oceani insula ad lunam usque.

Verbi (de) *idoli* sive *eidoli* accentu (A. TRAINA) I, p. 58.

Aliquid sane interest inter *eidolon* et *idolum*: Graecum verbum utrumque est, sed alterum veste indutum Latina, alterum iisdem litteris transcriptum. Quibus praemissis, censet auctor, quibusdam allatis exemplis, *eidōlon* Graecum accentum retinere, *idōlum* autem Latinum.

Verbis (de) *dicere* et *canere* (I. C. NEWMAN) II, p. 86.

Qui fuerit horum verborum usus apud poetas Latinos ab Ennio usque ad aetatem Augusti, qua pollet eruditione et doctrina auctor exponit.

Veteranus (carmen D. PIERACCIONI) I, p. 24.

Vindobonae studiorum Vniversitati alumni fabulam Latine peragunt (Io. COPPA) IV, p. 295.

Primo revoluto saeculo ex quo Vindobonensis Studiorum Vniversitas condita est, humanarum litterarum alumni, ut eventum commemorarent Latinam fabulam Latine egerunt, quam Conradus anno MDI herois versibus exaravit, cuique titulus est: *Ludus Dianae*.

Vocabulum *symbolae* (C. EICHENSEER) II, p. 122.

Hoc vocabulum, de cuius usu hic tractatur, illud est quo, comoediographis imprimis testibus, id significatur quod ac cenam conviviumque confertur, deinde metonymice convivium ipsum, denique sensu translato res incorporales intelleguntur, quae modo collectionis seu collectae in unum conferuntur commode componendae.

Voces quaedam Latinae locutionesque Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam suam* cum sermone Italico comparatae (R. MARSIGLIO) II, p. 110.

Vt manifeste pateat quam eleganter dictae quamque apte respondeant nostri temporis Italicorum sermoni, nonnullae proponuntur voces Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam suam*. Quod etiam argumento est quam arduum sit opus Latine hodie scribere, novaque inventa et cogitata novis verbis novisque vocibus reddere atque exprimere.

RINVS MARSIGLIO